

subjecto, in priore quidem corporis Christi cum aliquo, quod exhibetur ore corporis manducandum; in posteriore autem Davidis cum aliquo homine sancto: quæ si à parte rei & nemine cogitante detur, propositio utique id, quod rei veritas habet, exprimet, atque adeò inepti nihil continebit, ut ut extra disputationes & in vulgari usu loquendi id generis enunciationes non facillè occurrant. In argumentando enim non tam quid in communi usu frequenter occurrat, quàm quæ terminorum inter se habitudo sit, spectari solet, ut medium cum extremis, & extrema inter se ita ut res subjecta habet, & ut leges consequentiarum permittunt, jungantur.

XXXVII. Cæterem Vorstius negat insuper, quòd veritatis aut falsitatis capaces sint propositiones illæ, quarum prædicatum singulare seu individuum est. Scribit enim in *Epistola proxime citata, pag. 146.* Qui diceret, *Omnis Superintendens Jenensis est Christianus Chemnitius*, ejus oratio externa, quia inepta esset, neque veritatis neque falsitatis esset capax. Et post quædam interjecta: *Si quis diceret, omnes Professor Jenensis est Christianus Chemnitius*, ejus oratio externa, quoniam & ipsa inepta esset, veritatis aut falsitatis capax non esset. Et rursum: *Pari modo si formare velles hanc enunciationem: Omne quod super Christum descendit, est Spiritus sanctus*, eamq; syllogismi Gerhardini propositionem majorem constituere, primum ipsa oratio externa, quoniam inepta esset, neque veritatis neque falsitatis esset capax, &c. Quamvis verò tantùm in exemplum afferat enunciationes, quarum subjecto signum universale præfixum est, qualis in nostro argumento non accurrit; ratio adjecta tamen, cur veritatis falsitatisque capaces non sint, in has etiam, quæ signum particulare præfixum habent, convenit. Ea verò est hæc; quòd ineptæ sint. Oratio externa, inquit,